Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 403
Quelle:
Copyright:

illustr. T. XVI. p. 133. retinentiorem etiam antiquae scribendi rationis maluissent saltem Eruditi. Textus cetera Psalmorum Exempli nostri ab ea non abludit; in praeviis tamen Argumentis Psalmi cujusvis usus indicatur, qui in Edit. non habetur. Ita Psalmus I. nobis dicitur: *Chose propre pour consoler les bons.* II. *Pseaulme propre contre les Infidelles.* III. *Pseaulme propre pour vng chef de guerre moins bien accompagné que son Ennemy* &c. Ad calcem hoc jacet Lemma: *La Mort ny Mord*, *Maroto* familiare. Dixi supra Possessorem *Ferdinandum* I. quamvis enim, ut habes apud *Baylium* in *Dict.* v. *Marot*, Interpres hic ab Rege suo jussus *Carolo* V. Imp. Psalmos suos obtulerit, ab eoque numis 200. aureis duplicibus *(Doublons)* donatus fuerit, cum tamen in *Scuto* pariter superius memorato nihil Insignium *Hispanicorum* praeter Turrim *Castellae* conspiciatur, Exemplar istud vix ad *Carolum* referri posse censeo.

CXLVI. IX. H. 28.

798 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 88. 8. sat nitide perscriptus, rubricisque distinctus, exhibet: I. tacito Autore Paraphrasin metricam latinam *Cantici Canticorum Willerami* Abb. *Ebersbergensis*, de quo dictum *Codd.* XLIV. XLV. et XCVIII. Praefatio incipit: *Cum maiorum studia intueor, quibus in diuina pagina nobiliter floruere* &c. Pauca hic ab Editione *Schilteriana* T. I. *Thes. Antiquit. Teut.* abeunt. *In constructione* legas pro *instructione*, *fructum inducant* pro *producant*, *nomine ostentant* pro *testantur*, *et uersibus et textu* pro *et Teutonica*, quod postremum manifestus error est Librarii. Praefationem excipiunt Prolegomena omnibus *Willerami* Editoribus ignorata, et 5. paginas replentia, de quibus tamen dubito, an genuinus Nostri foetus sint. Ineunt illa: *Liber iste in quatuor partes diuiditur. quia ecclesia christi sponsa quam canit de quatuor plagis mundi per quatuor euangelia in thalamum sponsi colligitur ipso dicente: Venient ab oriente, et occidente. a meridie et aquilone et recumbent cum abraham et ysaac et iacob in regno celorum.* &c. Haec deinceps quatuor Puellis adplicantur, quarum Filia *Pharaonis* ab Oriente, Filia *Babylonis* ab Austro, *Sunamitis* ab Occidente, et *Mandragora*, *hoc est puella sine capite*, ab Aquilone accersitur. Vix haec *Willeramum* sapiunt. Ipsius Paraphraseos Membra tantum usque ad *Caput* IV. Rubricas illas Interlocutorum praeferunt; itaque earum ultima huic *Capiti* praefixa est: *Vox Christi.* Textus magis ad Codicem *Vratislav.* accedit; est tamen editis mendosior. Collato C. I. haec noto: V. 4. habetur *amore pio recolentes* pro *amore tuo.* V. 5. *Perfero grande malum* pro *Perfere*, quod Impressoris est σφαλμα. V. 15. *Nil factum simulas* pro *fictum.*

II.